Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lectionarius, Homiliarius, Fragment - Cod. Karlsruhe 1401

[S.l.], [11. Jh.]

urn:nbn:de:bsz:31-1774

Visual Library

1401

deprecatione faciens super communicatione uestra in euangelio christi
a prima die usque nunc. Confidens autem hoc ipsum quia qui cepit
in uobis opus bonum perficiet usque in diem christi iesu. Sicut est michi
iustum hoc sentire pro omnibus uobis eo quod habeam uos in corde
et in uinculis meis et in defensione et confirmatione euangelii
socios gaudii mei omnes uos esse. Testis enim michi est deus quomodo
cupiam omnes uos in uisceribus meis esse et christi iesu. Et hoc oro
ut caritas uestra magis ac magis abundet in sciencia et
in omni sensu ut probetis potiora ut sitis sinceres et sine of-
fensa in diem christi repleti fructu iusticie per iesum christum in gloriam
et laudem dei. Scire autem uolo uos fratres quia que circa me sunt magis
ad profectum uenerunt euangelii ita ut uincula mea manifesta fi-
erent in christo in omni pretorio et in omnibus et plures e fratribus in
domino confidentes in uinculis meis abundantius auderent
sine timore uerbum dei loqui. Quidam quidem et propter inuidiam
et contencionem quidam autem et propter bonam uoluntatem christum predicant
quidam autem ex uoluntate caritatis scientes quoniam ex defensione
euangelii positus sum quidam autem ex contentione christum annuntiant
non sincere existimantes pressuram se suscitare uinculis
meis. Quid enim dum omnimodo siue per occasionem siue per ue-
ritatem christus annuntiatur et in hoc gaudeo sed et gaudebo.
Scio enim quia hoc michi proueniet in salutem per uestram orationem
et subministrationem spiritus iesu christi secundum expectationem et spem
meam quia in nullo confundar sed in omni fiducia sicut semper et
nunc magnificabitur christus in corpore meo siue per uitam siue per
mortem. Michi enim uiuere christus est et mori lucrum.

In illo tempore. Exultauit ihc spiritu sancto S. Johm.
et dixit. Confiteor tibi pater domine celi et terre quia abscon
disti hec a sapientibus et prudentibus et reuelasti ea par
uulis. Et reliqua. O. Oriens.
Mirum quibusdam uidetur fratres karissimi cum audiunt dominum dicen
tem. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego
reficiam uos. Tollite iugum meum super uos et discite a me quia
mitis sum et humilis corde et inuenietis requiem animabus
uestris. Iugum enim meum suaue est et onus meum leue. Con
siderantes eos qui iugum ipsius intrepida ceruice subiecerunt et
illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt tantis
agitari et exerceri difficultatibus huius seculi ut non a laboribus ad
quietem sed a quiete ad laborem uocati uideantur cum et apostolus dicat. Omnes
qui uolunt pie uiuere in christo persecutionem patiuntur. Mouet er
go aliquis. Quomodo ergo iugum leue est et sarcina leuis. quandoquidem
iugum illud et sarcinam ferre nichil est aliud quam pie uiuere
in christo. Et quomodo dicit. Venite ad me omnes qui laboratis et ho
nerati estis et ego reficiam uos. ac non potius dicit. Venite qui ua
catis ut laboretis. et ego reficiam uos. F. v. ii.
ad Col. I–III 17 Paulus apostolus christi ihesu per uoluntatem dei et thymothe
us frater his qui sunt colosis sanctis et fidelibus fratribus in christo ihesu
gratia uobis et pax a deo patre nostro et domino nostro ihesu christo. Gratias
agimus deo et patri domini nostri ihesu christi semper pro uobis orantes
audientes fidem uestram in christo ihesu. Dilectionem uero quam
habetis in omnes sanctos propter spem que reposita est uobis in celis
quam audistis in uerbo ueritatis euangelii quod peruenit ad uos

sicut et in universo mundo est et fructificat et cres
cit sic in vobis ex ea die qua audistis et cognovistis
gratiam dei in veritate sic didicistis ab epaphra carissi
mo conservo nostro qui est fidelis pro vobis minister xpi ihu qui
et manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. Volo
enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro his qui
sunt laodicie et quicumque non viderunt faciem meam in carne ut consolen
tur corda ipsorum instructi in caritate et in omnes divici
as plenitudinis intellectus in agnitionem mysterii
dei patris xpi ihu in quo sunt omnes thesauri sapientie et scien
tie absconditi. Hoc autem dico ut nemo vos decipiat. F. iii.
Nam et si corpore absens sum tamen spiritu vobiscum sum gau
dens et videns ordinem vestrum et firmamentum eius qui in xpo est fi
dei vestre. Sic ergo accepistis ihm xpm dominum in ipso am
bulate radicati et superedificati in ipso et confirmati fide
sicut et didicistis abundantes in illo in graciarum actione.
Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu aut in
parte diei festi aut neomenie aut sabbatorum que sunt um
bra futurorum corpus autem xpi. Nemo vos seducat volens
in humilitate et religione angelorum que non vidit ambulans
frustra inflatus sensu carnis sue et non tenens caput ex
quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et in
constructum crescit in augmentum dei. Si mortui estis cum
xpo ab elementis huius mundi quid adhuc tamquam viventes
in hoc mundo decernitis. Ne tetigeritis neque gustave
ritis neque contrectaveritis que sunt omnia in interitu ipso

usu secundum precepta et doctrinas hominum que sunt rati
onem quidem habencia sapiencie in superstitione et humi
litate et non ad parcendum corpori non in honore aliquo ad
Mortificate membra vestra S̄ k. iiii. saturitatem carnis.
que sunt super terram fornicationem inmundiciam libidi
nem et concupiscenciam malam et avariciam que est symulacrorum
servitus. propter que venit ira dei in filios incredulitatis in
quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis.
Nunc autem deponite et vos omnem iram indignationem
maliciam blasphemiam turpem sermonem de ore vestro ne emi
seritis. Nolite mentiri invicem expoliantes veterem ho
minem cum actibus eius et induentes novum hominem qui renovatur
in agnitione secundum ymaginem eius qui creavit eum ubi non est
masculus neque femina gentilis et iudeus circumcisio et
preputium barbarus et scyta servus et liber sed omnia et in omnibus christus.
Induite ergo vos sicut electi dei sancti et dilecti viscera misericordie
benignitatem humilitatem modestiam patientiam subpor
tantes invicem et donantes vobis metipsis si quis adversus
aliquem habet querelam sicut et dominus donavit vobis ita et vos. Super
autem omnia hec caritatem habentes quod est vinculum perfectionis
et pax christi exultet in cordibus vestris. S̄ kl. v.
In qua et vocati estis in uno corpore. et grati estote. Verbum xpi
habitet in vobis habundanter in omni sapiencia docen
tes et commonentes vos metipsos psalmis ymnis canticis
spiritalibus in gratia cantantes in cordibus vestris deo. Omne quod
cumque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine domini